
LIBR
UNIVERS
JAGELL
CRACOVI

ANDREÆ FRICII MODREVII LIBER DE ECCLESIA.

*

INTVENTI MIHI et cum animo meo reuoluenti, quæ in ecclesia IESV CHRISTI his temporibus acciderunt: eaq; cum inicijs nascentis ecclesiæ diligentius conferenti: permirum uideri solet quónam modo factum sit, ut plurimi mores prisci sensim quidem, sed tamen indies magis ac magis in præceps, quasi prono amni, à puritate & sanctitate primæua fluere cœperint & discedere. Etenim cùm cogito de religionis nostræ illis antesignanis, qui à Christo delecti orbem terrarum ab idololatrijs repurgarunt, atq; semine uerbi dei seminarunt, uideo illos numero paucißimos, bonorum poßeßi-

one pauperrimos, iniurijs infinitis maximè opportunos fuisse: Res tamen tantas geßisse, quantæ post memoriam hominum maximæ possunt commemorari: doctrinam IESV CHRISTI in totum orbem sparserunt & diuulgarunt: inimicitias hostium magistri et domini sui appetiuerunt: pericula & mortes ipsas ultrò subierunt. Contrà cùm hominum nostræ & superioris ætatis, qui in loca illorum successere, mores considero, diuersa omnia in eis & prorsus contraria animaduerto. cœtus eorum ubiq; frequentißimi: rerum multarum ditißimi: iniurijs uel minimè uel modicè expositi. Et tamen in tot opportunitatibus paucißimi sunt qui docere populum uelint: puritatemq; doctrinæ ac ceremoniarum à Christo & Apostolis traditarum conseruare ac retinere. Itaq; & mores corruptos, & ritus deformatos, & disciplinam solutam uiderunt & adhuc uident secula nostra. Inter quæ & illa apostolorum tempora qui interiecti erant, ij quidem eiusmodi fuere ut quò quisq; temporibus apostolorum uicinior, hòc in munere apostolico fungendo diligentior: quò nostris, hòc segnior fuerit. Etenim si res antiquas ex literarum monumentis memoria repetamus multos inueniemus ordinis sacerdotalis uiros maximis uirtutibus præditos fuisse: fructusq; quam uberrimos

ecclesiis

ecclesijs tulisse: Quales fuisse Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Athanasium & innumeros alios constat: qui doctrina sua illustrarunt ecclesiam non secus quàm sol iste qui aspectu sentitur, illustrat orbem radijs suis. imperitos erudiebant: alienos à religione ad Christum adducebant: doctos confirmabant: impijs gladio uerbi Dei resistebant. neq; fuit illis quicq̃ antiquius quàm ea perpetuò agitare quibus maximè instructi essent ad omnia sui officij munera exequenda: quæ quidem in docendo, & sacramenta populis administrando maximè posita erant. Itaq; & ipsi memoriam nominis sui clarißimis monimentis immortalem effecerunt: & posteritas ex magnis illorum meritis in diuorum numero illos collocauit. Maiore in pretio tum in ecclesia Dei erat doctrina quàm diuitiæ: pluris æstimabatur uirtus quàm natalium splendor. Atq; utinam mos ille præclarus ad nostram hanc memoriam remansisset: non tot procellæ doctrinæ, turbines ac tempestates morum in ecclesia Dei extarent. Sed cùm progredientibus ætatibus, uetus illa disciplina sensim, ut ferè præclara omnia minui cœpit, fit ut nostra hac exig[illegible] aut propemodum nulla sit. Quotus enim quisq; est qui hodie sacerdotio ambiendo opus appetat non opes? doctorem agere uelit non dominum?

imò quotus quisq; est qui eam religionis scientiam afferat ad hunc ordinem, ut uel mediocriter prodesse poßit ecclesiæ? Mitto mores multorum perditos. de cura cognoscendæ doctrinæ christianæ mihi sermo est. omnes aut certè maxima pars sacerdotum, & eorum quidem in primis qui opimis sacerdotijs gaudent, omißis studijs religionis christianæ student rebus alienißimis. animus eorum est in patinis, abacis, ueste preciosa, equis, numerosa familia: optima temporis pars consumitur in ludis & uenationibus: cæterum placet otium atq; delitiæ. ac nisi liturgia & preces horariæ superessent, uix ulla ueteris sacerdotij uestigia apparerent. Qui literis sese dediderunt, quiq; publicè docent populum, ij nec honores sibi debitos consequuntur, nec authoritatem: & certè in ecclesia tanquam in aliena Repub. uersantur. Paulus ille Tharsensis secundum Apostolos et Prophetas priorem doctoribus locum dat quàm gubernatoribus. Hodie uerò non tantum præ gubernatoribus sed etiam præ hominibus otiosis sed diuitijs & genere præstautibus longe post putantur doctores. [...]q; cùm eruditio & generi & fortunis in ecclesia Dei posthaberi cœpta esset, ipsiq; summi gubernatores clauum docendi nunquam tenere consueuissent, factum est ut turbulentißimis tempestatibus

tibus

tibus coortis, inepti essent ad gubernacula tractan- da, quæ mari tranquillo, nunquam tractare didi- cissent. Vtinam autem uel uicarios haberent tan- to muneri pares. Sed fit nescio quomodo ut nemo ad eam artem seriò animum adiungat, quam ab ijs negligi uideat qui eius nomine in principum di- gnationem peruenerunt. Sed quænam sunt illæ tempestates, quæ procellæ ecclesiam Christi quati- entes? Eas uerò facilè unusquisque cernet qui hanc ecclesiarum nostri temporis faciem diligentius fu- erit contemplatus. Tantæ enim sunt inter partes dissensiones, tanta certamina ut permulti boni uiri dubitent quid sequendum quid fugiendum sit. ui- dent duces clarißimos sæpe armis & castris magis quàm uoluntatibus & studijs dißidentes. audiunt ab utrisque ecclesiæ sanctißimum nomen opponi: ut etiam si aliter sibi putent esse sentiendum, au- thoritati tamen cedere cogantur. Iam mihi consi- deret quisque quas turbas in animis hominum ef- ficiant tantæ dissensiones? nemo bonus sine animi dolore aspicere potest hanc fratrum à se inuicem disceßionem: ita enim inter se distracti sunt quasi alium Deum colerent, alio baptismate initiaren- tur, aliam regni cœlestis expectarent hæreditatem. utriq; utrosq; dignos putant in quos probra & maledicta conferant: quos æternis supplicijs deuo-

ueant. Quid enim sibi uolunt certamina inter eos susceptæ? quid libri ab utrisq; conscripti, pleni disputationum, debachationum, conuitiorum? In quibus hominibus est aliquid Christianæ charitatis ij non possunt hæc in Christi membris & fratribus sine ingenti dolore uidere: Quos nulla tangit cura illius, ij rident hæc omnia, et tanquam in aliena calamitate uiuunt otiosi: neq; hoc eis uenit in mentem, eiusmodi esse hanc tempestatem quæ nulla ui corporis sedari poßit: nisi legitimis rationibus ex diuinis oraculis petitis fuerit auersa, horrescet indies magis, semperq; fœdas in animis hominum nubes glomerabit. Vtinam uerò ij quos penes est summa potestas, conuertant tandem suos conatus omnes ad eam ipsam tempestatem sedandam & componendam. Quorum etsi hanc curam præcipuam esse conuenit: Tamen quemq; etiam pro sua parte anniti decet ut ne quid intermittat studij, operæ, solicitudinis ad eam auertendam. In qua persuasione nobis uisum est ut quasdam uias indicaremus, quibus id effici posse speraremus. Neq; uerò clam nos est, tractationem hanc longißimam simulq; difficilimam esse: uerùm quid impedit, ut si non omnia quædam tamen, neq; uerò ea omnino protrita, pertractentur à nobi qui ab hoc genere doctrinæ

studio & uoluntate minimè simus abhorrentes? Tametsi studia hæc nec perpetua sint, nec paria tantæ rei. Puto autem hoc argumentum, tempori huic esse accommodatum: cùm concilio Tridentino malè quidem soluto uel nescio quomodo distracto, in magnam spem, pollicitationibus magnorum uirorum, ac in primis Iulij huius Tercij Papæ, qui nunc ecclesiæ præest, erigimur fore, ut tandem concilium nouum instituatur: illud orbi christiano optatißimum, ad quod ex omnibus nationibus uiri lectißimi conueniant, ad religionis controuersias tollendas & extirpendas. Primùm igitur de doctrinæ conciliandæ rationibus, ac controuersijs horum temporum nonnullis disputabo. Pòst agam de moribus ac legibus quibusdam ecclesiæ ritè gubernandæ necessarijs. Vtinam alij quoq; quorum id magis interest, uel hæc nobiscum recolant: uel ad similia & maiora cogitanda excitentur: atq; ad res gerendas, quantum poßint, animum appellant. Ac illud quidem in aperto est concilio opus esse: quo, ut dixi, controuersiæ hac tempestate de religione excitatæ sopiantur & extinguantur. Multi dolent, partibus hanc scribendi licentiam, qua animi hominum de religione distracti sint, permissam esse: propterea quòd & ueteres hoc tempore errores suscitati, non noui reperti essent: et ijdem

Concilio opus esse ad errores et cõtrouersias tollẽdas.

errores

errores adeò olim confutati ut magis fuerit è rep. confutationes ueterum euolui quàm nouis edendis operam dari. Verùm qui sic loquuntur queri magis deberent de ijs qui hanc licentiam partium, cum possent, cohibere neglexerunt. Amplius sunt Triginta anni cùm dogmata ecclesiæ in dubium uerti cœperunt. ab eo tempore scribendi & rescribendi modus fuit nullus. Quis igitur finem præstituere debuit istis rebus? quis nisi consensus et conspiratio orbis Christiani, ac ecclesia ritè congregata, in qua suus esset cuiq; locus liberè dicendi quod è rep. uideretur. Eam porrò congregationem nostrâ tempestate quis fieri curauit? Pontifices quidem summi iaminde à Leone Decimo sæpe indixerunt, alius post alium, concilia: sed indictiones illæ nunquam ad effectum perductæ sunt. Mitto quærere cuius culpa. Illud non dubito affirmare in ijs qui præsunt rebus humanis culpam hærere omnem, quo minus concilium celebratum sit quod dissensionibus finem imponeret. Nam de concilio hoc Tridentino pudet tædetq; loqui: quod post tot indictiones, prorogationes, translationes, antiquationes, Paulo Tertio Pontifice inchoatum erat: & cum in suis actionibus progrederetur, scissum tandem est: nonnullis patrum qui præerant Bononiam transferre, alijs eodem in loco,

cri & matrimonij inter se non repugnare. Etenim quæ inter se repugnant ea nunq̃ uni attribui possunt. Ea enim illorum natura est ut uni simul nunq̃ conueniant. Cumq; ostensum sit, sacramenta, de quibus agimus, uni conuenire posse, sequitur ut dicamus naturas et essentias eorum consentaneas esse. Neq; uerò me clam est quid et Augustinus & Hieronymus scripserint de presbyteris coniugatis, eos iam initiatos liberis procreandis uacare non posse. Alioqui, inquit Hieronymus, si quis deprehensus fuerit, non quasi uir tenebitur: sed quasi adulter damnabitur. Verumenimuero non tantùm theoremata doctorum uirorum consideranda sunt: sed quid etiam tulerit praxis & mores recepti. Monstrauimus sacris initiatos ad matrimonium peruenire posse & in orientali & in occidentali ecclesia. Quorsum uerò id esset, nisi fine matrimonij uti possent? Est enim finis matrimonij non tantùm prolis procreatio: sed etiam ut uterq; coniugum alterius intemperantiæ mutuis officijs medeatur. Quod & à Paulo 1.cor.7. affirmatur & 32.q.2. ostenditur. Sed & praxim ecclesiæ aliam fuisse à theorica illa quorundam patrum traditione Niceni concilij decreto comprobari potest. Quod recitatur 31.d. Nicena. Vbi narratur suasu Paphnutij Nicenam synodum constituisse ne presbyteri ab uxo-

rum, quas ante consecrationem duxissent, concubitu arcerentur. Canone etiam sequenti, qui incipit Quoniam, eadem 31. d. sancitur non in perpetuum sed tempore oblationis à complexu suarum mulierum sacerdotes abstinere debere. Quamobrem Nicolaus papa ad Ratholdum episcopum Argentoratensem 33. q. 2. c. Latorem, scribens de presbytero matricida, usu plurimarum rerum ei interdixit: atq; adeò ne oblationes offerat (unde presbyterum fuisse constat hunc ipsum matricidam) nisi expletis multorum annorum curriculis, mandat: uerumtamen usu matrimonij ei non interdixit. Sic enim ad uerbum, A propria, inquit, ac legitima coniuge non separetur: ne in fornicationis uoraginẽ corruat: quod ne fiat optamus. Quid igitur impedit quo minus, ut prius, à causa ducto argumento, diximus, cui fas sit matrimonium contrahere, eidem liceat contracto uti: ita nunc uice uersa ab effectis colligamus, Si licet presbytero commodis matrimonij uti cur non liceat matrimonium contrahere? Non enim uerum est cui finis conceditur ei media ad finem ordinata negari oportere. Adhuc autem uersamur in ea orationis parte, qua sacerdotij naturam cum matrimonio cohærere posse ostensuros nos polliciti sumus. Qua in re honestas [illegible]um per se consideranda est, & utilitas.

Vtriusq

Vtriusq; rationem magnam habitam esse à concilijs & ueteribus pontificibus ostendimus: qui noluerunt ut matrimonij ac eius usus negatione aliquis per scortationem in uoraginem æternæ mortis caderet. Quoniam igitur de natura sacerdotij dixi, nunc de adiunctis illi dicam: non quidem de omnibus: Sed de eo quod quasi è regione matrimonij sit positum. Id autem est uotum castè uiuendi. Neq; uerò hoc absurdum cuiq̃ uideri debet, quòd uotum castitatis seiungamus ab essentia sacri ordinis: Nam et materia diuersa est illis subiecta, et unum sine alio subsistere iam ostendimus. Multa in utranq; partem à multis doctis uiris disputata sunt de uoti natura, ui, & efficacitate: quæ apud suos authores legi possunt. Illud satis est à nobis in præsentia dici, pia uota quibus tanq̃ sponsionibus cum certa animi inductione factis Deo obligamur, necessariò persoluenda esse. Eiusmodi enim uotorum uiolatio iustam excusationem non habet. Quod ecclesiastes sic comprobat capite 5. cùm uoueris deo uotum, ne differas soluere. Non enim deus stultis delectatur. Proinde quod uoueris exolue. melior namq; est qui non uouet, eo qui uouet nec soluit. Vota non eiusdem formæ esse multi uiri docti prodiderunt. Alia quæ solenniter & palàm fiant, ut quæ uouentem in statum uitæ à priore di-

2

uersum deducant. Talia esse quæ uouentur tum à professis religionem monasticam, tum ab asscriptis ordini sacro. Alia quæ statum uouentis non mutent: nec ulla solennitate adhibita suscipiantur: sed consilio priuato concipiantur nuncupenturue. Hæc simplicia uocant illa solennia. Etsi autem discrimen hoc non sit improbandum: Tamen uoti utriusq; uis illa est ut qui se illo obligasset, illud reddere non negligat: id quod ex sententia ecclesiastæ ostensum est. Quamuis enim uoti simplicis uiolatores non coguntur ad illud repetendum: sed pœnitentia à sacerdote iniuncta crimen eluunt: solennis autem uoti fidem qui soluant, ij & pœnitentiam solenniter agere, et ad statum unde discesserunt redire iubentur: Tamen si res ipsa spectetur simplicis et solennis uoti apud Deum discrimen est nullum. Vtrunq; enim à uoluntate hominis proficiscitur, qua ita se homo deuouet Deo ut ius omne sui illi transcribat. Quid enim refert solenniter id facias an citra ullam solennitatem? cùm quidem Deus inspector sit cordium: solennitatesq; magis hominum causa qui testes sint promissorum tuorum adhibentur quàm Dei: cui cogitationes tuæ sine ullis testibus sint perspectæ. Ideo Bonifatius octauus in Sexto de uoto & uoti redemptione inquit, solennitatem uoti esse per solam ecclesiæ constitutionem adinuentam

uentam

uentam. Diximus de uoto uniuersè, omne illud præstandum esse quod pium sit. Dicamus speciatim de uoto cœlibatus, quo homo sanctè consecrat se ad castitatem corporis seruandam. Hoc quia à Christo ipso commendatur: qui eunuchos ait esse non tantùm natura aut opera hominum factos: sed qui se propter regnum cœlorum castrassent: non est quod nos plura uerba faciamus in eius commendationem. Cùm igitur ferè receptum sit, ad ordines sacros neminem, in occidentalibus ecclesijs, aspirare posse, quin simul uoueat corporis castitatem: hæc autem à matrimonio implicatis seruari non possit: omnino sacris iniciatis matrimonium inire minimè licet. Idq; non ui ordinis ut prius demonstrauimus: sed ui uoti sacris ordinibus adiuncti. Pugnant itaq; iam matrimonium cum sacerdotio non essentijs & naturis suis: quemadmodum idololatria cum uero dei cultu pugnat: sed propter adiunctum sacerdotio uotum castitatis. Quod si adimeretur, iam non pugnarent: quemadmodum in ueteri ecclesia sacerdotum & prophetarum ordo minime matrimonio aduersus erat. Consequens 3
est ut disputemus num qua ratio inueniri possit, ut ei qui sacro ordini se cupiat asscribi castitatem uouere necesse non sit. Atq; hic optandum esset ut ne quis uoto temerè, neue coactus se obstringeret. Cùm

enim actionum humanarum causæ sint iudicium & uoluntas, qui uel inuitus uel iudiciò parum circumspecto uouet aliquid, temeritatis potius aut stultitiæ accusandus est quàm uoti religione commendandus. Ideo & puerorum uota ob iudicij illius ætatis infirmitatem, nullius momenti esse putantur: & si quis ab extrinseco impulsore coactus uoueat aliquid, uix ab aliquo iudice cogi potest ad uotum exequendum. Iam quid dicamus de impulsoribus qui intra homines sunt, & in mentibus eorum uersantur? Hominum, inquam, qui non quod uouent id expetant: sed quiddam aliud longè diuersum: cuius causa tandem castitatem, animo mimimè suo, uouere non dubitent. Et quoniam sententiam quasi in conspectu totius ecclesiæ uideor mihi dicere, dicam apertè et candidè omnia, ut decet tali in loco, tantisq; de rebus. Qui hodie uotis implicantur, omnes, paucißimis exceptis, beneficijs sacerdotalibus & ambitione ad uouendum alliciuntur. Sunt enim hæc maxima sacerdotiorum authoramenta: sine quibus uix quisq̃ adduci posset ad uouendum. Qui igitur honores & ampla sacerdotia ambiunt, hi cùm in luxum rerum ferè omnium effusi sint, an possunt castum præstare cœlibatum? Qui item uel ex aulæ ministerijs, uel ex quolibet hominum genere commodorum causa initiantur, an constanter

col

colunt cœlibatum? Vita quidem com[illegible]
dotum teſtatur q̃ præſtent quod uoto[illegible]
runt: præſertim cùm infinitus eorum num[illegible]
rente & integra ætate, quidam etiam tantum [illegible]
ab incunabulis in collegia ſacerdotum peruene-
runt. Paulus in uiduarum cœtum quæ miniſtrent ec-
cleſijs non uult minorem annis Sexaginta allegi:
iuniores reijciendas cenſet: Eas enim ad nubendum
ac liberos gignendos magis aptas eſſe quàm ad ec-
cleſiæ miniſteria obeunda. Hodie ex iuuenibus fiunt
preſbyteri, hoc eſt ſeniores. Tam igitur præſtant
cœlibatum q̃ ſunt ſeniores. Ipſi antiſtites eccleſia-
rum ſciunt, & archidiaconi nouerunt, & uulgo
compertum eſt quàm turpiter proſtituatur cœliba-
tus [illegible]dotum. Quid ita? Quia ab hominibus
paru[illegible]tione ualentibus, parumq́; ſpontis ſuæ uo-
tu[illegible] qui partim non intelligant quid uires ſuæ
f[illegible] poſsint, quidúe recuſent: partim habendi ac
poſsidendi nimio amore urgeantur, furijsq́; ambi-
tionis impellantur ad ea uouenda quæ nec præſta-
re didicerunt: Nec præſtanda eſſe unquam in ani-
mum induxerunt. Quid igitur uolunt præfecti ec-
cleſiarum, ut quos malis auibus inauguratos eſſe
non ignorant, eos in hoc curſu uotorum perpetuo
retinere ſatagant? Non fert hoc rerum natura, ut
[illegible] qui malè cœpti ſunt, bene perficiantur: &

cum

cu[illegible] [illegible]i institutæ erratum sit, non multa inde
4 pr[illegible] peccata. Remedia igitur aduersus
ho[illegible]um quærenda sunt. de quibus nos cogit iam
loqui cursus ipse orationis. Votum cœlibatus ui=
olatur omni concubitu uenereo. Qui igitur se illo
obstrinxit, concubitum omnem fugiat necesse est.
Hoc si præstari nequit, certè aut uoto obstringendi
non sunt qui initiari debent: aut si illo obstringendi
sunt, tales sacro ordini asscribantur de quibus spes
sit maxima fore ut cœlibatum colant piè & inuio=
latè. quod & ex uita anteacta colligendum est, &
ex ætatis maturitate: nimirum in quam suspitio non
conueniat uitæ turpiter degendæ. contrà atq; hodie
fieri iam ostendimus: cùm in hunc ordinem ueni=
unt permulti ætate maximè lubrica & m[illegible]uiti=
is obnoxia: qui sacerdotiorum reditibus all[illegible]i ni=
hil pensi habent quid promittant. ac n[illegible] [illegible]m
cœlibatum sed & quiduis uouere audeant ut c[illegible]=
moditatibus & beneficijs ecclesiarum potiantur.
5 Quamobrem si tales in presbyterorum ordinem
sunt recipiendi, ratio ipsa indicat uinculis eiusmodi
constringendos non esse: quæ tandem sint ab illis
rumpenda. Displicet enim Deo stulta promißio,
Ecclesia= inquit ecclesiastes: meliusq; est non uouere q̃, quod
stes 5. præstiturus non sis, promittere. De his igitur stul=
tis promißionibus deinceps agamus. Conc[illegible]

omnis